



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-618837-p0001-2

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-618837-p0002-7

DFG

DISPUTATIO JURIDICA,
De
SUCCESSIONE
AB INTESTATO

MATERIA PER QUAM UTILI ET
quotidianâ;

Quam

Auspice & Duce

DEO TER OPT. MAX.

P R E S I D E

Clarissimo Consultissimog^z viro,

DN. GEORGIO-DAVIDE

LOCAMERO I. V. DOCTORE IN-

QUE CELEBRI ARGENTORATENSIMUM

Universitate Professore Publico: Prä-

ceptore suo observando,
colendo.

In Auditorio ICTorum publicæ disqui-
sitioni committit

Ad diem Aprilis.

M. DANIEL PVLIAN ARGENTINA-

Alsatius.



ARGENTORATI,

Excudebat PAULUS LEDERTZ.

M. DC. XXII.

401.

42

1622, 6.

N O B I L I S S I M I S ,
A M P L I S S I M I S , P R U -
D E N T I S S I M I S V I R I S :

Dn. A D A M O Zorn à Globshem, INCLYTAE
 Augustæ Trebocorum Reip. Prætori ejusdeinque
 celeberrimæ Vniversitatis Cancellario Gravissimo:

Dn. P E T R O Storch, CONSVL I ITID EM
 Consultissimo:

Dn. F R A N C I S C O - R V D O L P H O Ingolde,
 Tredecimviro ibidem Eminentissimo:

DDD. SCHO LARCHIS, PATRIAE VT PACIS,
 itabelli tempore Patribus Constantissimis,
 & nunquam satis Laudatis.

SRAIANI IMPERATORIS, (Viri Nobiliss. Ampliss. Prudentissimi) Affabilitatem, Comitatem, humanitatem, Magnificentiam, Liberalitatem, literarum, literatorumq; Patrocinium, mirum in modum deprædicat Aurelius Victor, Author gravissimus: Laudibus ad coelum usq; evehunt cundem tria illa Principiū summè necessaria, inq; illo de-
 * prehen-

prehensa requisita; Sanctitas domi, Fortitudo in armis,
Prudentia utrobiq; ; Nobilitat acclamatio Senatus, in-
deq; deductum πολυθρύλλων Non Feliciores Augusto, non
Meliores Traiano. Cur quod de Imperatore Histori-
cus hic noster jucundissimus refert jucundissimè, id mi-
hi ad vos Academiæ hujus inclytæ Scholarchas opti-
mos, transferre optimè non liceret? Quippe periculosis
& perturbatis hisce temporibus Ecclesiæ Scholæq; ho-
spitium concessistis, utq; iisdem benè sit operam dedi-
stis sedulo, datis adhuc quotidiè, estisvè daturi in poste-
rum. Præclarum me Christe, juventuti viros pictate,
doctrinâ , fide præstantes præficere! Vos Scholarchæ
præficitis. Magnum, sumptibus haud vulgaribus Do-
ctores & Professores instruere! vos Scholarchæ instru-
ctis. Egregium, arcto quasi concordia inter se vinculo
cum docentes, tum discentes continere! vos Scholarchæ
continetis. Eximum, certis veluti cancellis descri-
pta studia tueri! vos Scholarchæ tuemini. Magnificum,
Academiæ leges à Senatu Amplissimo datas, privilegia-
que sarta , tecta custodire! vos Scholarchæ custoditis.
Singulare, eximiæ spei adolescentes (Lysistrati divitias
habentes) ad Ecclesiæ Scholæq; utilitatem stipe annuâ
fovere! vos Scholarchæ fovetis. Quis E. non laudibus
summis vos Vir. Ampliss. cum Traiano Imperatore dignos
judicaret? quis nō grati memorisq; animi sui, quomodo
posset, quæq; haberet, indicia proferret? etsi verò veris-
simum sit, quod ille ait,

Magna decent magnos:

Hicceverò meus discursus Iuridicus qualiscunq; poli-
tissimis yestris indignus sit auribus: siquidē nihil ad eas
pervenire debet, nisi judicio limatum, industriâ, elabo-
ratum, arte tersum atq; politum : Et mihi tanta ingenij
ubertas

ubertas non existat, dicendi vis atq; copia mecum non
inveniatur, omnis inventionis acumen, compositionis
harmonia, verborum splendor & ornatus, locutionis
suavitas & concinnitas, sententiarumq; gravitas procul
a me absit; & fusius à me dilaudandum atque deprædi-
candum esset, quâ Academiam, inq; ea docentes discen-
tesq; prosequimini curâ, clementiâ! Eorum tamen in
albo numeroq; nomen extare meum haud unquam pa-
tiar, qui beneficia accepisse se se negant, quæ acceperunt,
accepta vel dissimulant, vel non reddunt:

403

Bellua vasta prius pavido adjungentur ovili:

Nonq; feret plantas sylva, nec astra polus.

Quippe prius totum curreret testudo per orbem:

Ebimet atq; prius flumina musca marius:

Quam Benefactorum capiat me oblivio turpis:

Nam nihil ingrato turpis orbis habet.

Idcirco astrigerò currunt dum sydera cœlo;

Dum dabit exaltus sydera clara polus;

Dum Phaethontis equiq; diem lucemq; coruscis

Naribus efflabunt; dum vehet aer aves;

Squammigerumq; pecus pennis dum vasta secabit

Aequora; conabor, gratus ut esse queam.

Quapropter spe minime dubiâ subnixus, confido fore
Ampl. V. per exigua hancce de successione ab intestato
disputationem in *venerationis symbolum*, *submissionis*
monumentum, *studiorum testimonium*, *ulterioris favoris*
incitamentum grataq; mentis indicium esse accepturam,
exilitatem illius non respecturam, perfectionem nullâ
desideraturam: Sed bidente lanigerâ contentam esse,
quod Deorum quandoq; in sacris siebat, aut molâ falsâ,
aut thure modico, siquidem bovis inaurati atq; trium-
phati hostimentum offerre mea mihi non concedit pe-
nuria. Illius tandem Poëtæ considerando,

Magna

Magna sed & parvus gratia inesse solet,
Stylum retraho & concludo. Deus Ter Opt. Max. Ampl.
V. dies multos eosq; lœtissimos videre finat ; Remp. ut
nobilissimā, ita florentissimā seculis hisce verè conclati-
matis, sartā testamq; diutissimè conservet : pacē largia-
tur, plenū illud refertūq; omni felicitate Cornucopiæ,
quosine tetro squalore obsita jacet religio, friget justitia,
riget honestas, marcat agricultura, languet mercatura,
cū primis verò triste, triste in exiliū bonis cū legib. Mu-
sæ mansuetiores expelluntur, prædæ lupis fiunt Martia-
libus, & non nisi excidiis templorū, depopulationibus
agrorum vastitudinibus urbium innutritis. Is E. qui so-
lus aufert bella usq; ad finē terræ, qui arcus conterit, ar-
ma confringit, currus comburit igne : Is inquā vos Aca-
demiae Scholarchas, & Patriæ patres Dulcissimos suo re-
gat spiritu, ut religionē purā, nulloq; permixtam falsita-
tis ac superstitionis fermento protegere , in Academia
bonarum artium ac disciplinarum studia, (quibus ad
societatem, commerciaq; vitæ hujus, non magis care-
re, quam sole atq; aere possumus) à barbariei cœno situ
inertiæ, præstigiis sophistarum, imperitorum sannis at-
que calumniis conservare illibata, ad sui S. S. nominis
gloriā, Reip. salutem, clientumq; vestrorū incolumita-
tem queatis, Amen, Amen.

V. Nobilit. Amplit. Prud.

Subiectissimus

M. Daniel Pulian Argentinæ-Alsatius
Auth. & Resp.



DISPUTATIO JURIDICA

De

SUCCESSIONE AB INTESTATO:

*Vtilem & quotidianam esse successio*nis ab intestato materi-*
am, frequentia controversiarum in foro ostendit, & tam
stultorum quam sapientum Magistra EXP-
RIENTIA testis est omni exceptione
*major.**

Operam me igitur in illa (ingenioli mei habitâ ratione)
pertractanda perditum minimè existimans,
illam DIVINA FAVENTE CLE-
MENTIA aggredior.

THESES I.


U M defunctus intestatus decedit, quod sit, cum quis
facere potuit testamentum, nec fecit; (a) vel si fecit
quidem, sed vitiosum: (b) tunc demum successio-
ni legitimæ sit locus. (c)

(a) l.l.in princ. ff. d suis & legit. (b) princ. Instit.
h.t.t.t. ff. d. injust. rupt. irrit. fact. test. t. t. quibus mod. test. infirm. l. ut lib.
17. C. d. collation. i. t. d. in offic. Forst. tract. de hered. quæ ab intest. defer. lib.
3. cap. 3. num. 2. & 3. (c) l. quam diu 39. ff. de acquir. hered. Vult. libr.
Iurupr. Rom. I. c. 74.

A 2

II.

II.

Legitima verò hereditas dicitur, quia solā lege, absque defuncti testamento, defertur: (a) unde & legitimi heredes, quibus ita defertur. (b)

(a) l.3.§.2.ff.pro socio. l.in plurium 70. & l.illud 77.ff.de acquir. vel omitt. heredit. (b) l.2.§.ultim.ff.unde legit. l.2.in princ. & t.t.de suis & legit.

III.

Legitimi autem heredes vel sunt cognati (sumpto cognatorum vocabulo generaliter) (a) velestranei quidam.

(a) l.1.4.l.10.ff.de grad.& ad fin. N.118.in pr.

IV.

Gradus verò cognationis alij superiores ordinis sunt, alij inferioris, alij ex transverso sive à latere. (a)

(a) d.l.1.in pr.ff.d.grad.& ad fin.d.N.118.in fin.pr.

V.

Prima successio disponitur descendantium sive liberorum esse: (a) qui naturæ simul & parentum communi voto ad hereditatem vocantur: (b) & ad bona parentum quasi debita jure sanguinis & naturæ perveniunt: (c) idq; hodiè omni sexus, emancipationisq; differentiâ remotâ. (d)

(a) d.l.1ff.de grad.& ad fin.d.N.118.in fin.princ. (b) l.scripto 7.in fin.ff.si tab.test.null.ext. (c) l.cum ratio 7.ff.de bon.damnat. (d) §.item vetustas Inst.eod.l.maximum vitium 4.C.d.lib.praterit.

VI.

Quoniam verò liberi in multiplice differentia sunt; igitur & eorum succedendi ratio non uniformis, sed multiplex est.

VII.

Sunt enim hi vel primi, vel ulterioris gradus. (a)

(a) l.liberorum 220 ff.d.V.S.

VIII.

Primi gradus liberi vel ab eo, de cuius successione quæritur, sunt geniti, vel in genitorum locum suscepti. (a)

(a) §.sui autem heredes 2.Institut.de hered.quæ ab intest. defter.D.Obrecht.disp.d.instit.hered.θ.181.

IX.

IX.

Priores sunt vèl naturales & legitimi simul, vel legitimati, vèl naturales, vel spurijsive vulgo quæsti, vel ex coitu incestuoso, & à jure civili damnato, nati.

X.

Naturales & legitimi simul, qui secundum naturam ex coniunctione maris & fœminæ à lege expressè approbatâ, legitimo sc. matrimonio nati sunt, parentibus in capita succedunt; (a) nec refert tempore mortis parentum nati fuerint, vel etiam posthumî sint. (b)

(a) §.cum filius Inst.h.t. Auth. in successionem C. de suis & legit. N.118.c.1. (b) §.licet Inst.eod.l.Titus 6.cum seq.ff.de suis & legit.

XI.

Ubi obiter observandum, quod naturalis & legitimus simul ex diverso matrimonio natus, sui parentis bona, & donationem propter nuptias, dotemq; parentis accipiat. (a)

(a) l.cum alijs 4.C.de secund.nupt.N.22.c.1.

XII.

Legitimati pro diversitate modorum, quibus legitimatio fit, diversimodè succedunt. Modi autem legitimandi liberos naturales tres principales constituuntur: (a) Primus est oblatio curiae; ubi talis à patre, vel à se ipso servitio curiae offertur; (b) eoque legitimatus patri succedit, tam ex testamento, quam ab intestato, etiam cum aliis legitimè natis, sic tamen, ut non plus habeat, quam verè legitimus: (c) Verùm non fratribus legitimè natis, nec cæteris agnatis, sed soli patri succedit. (d)

(a) N.74.quib.mod.nat.effic.legit.N.89.quib.mod.nat.effic.sui.
(b) d.N.89.c.2. (c) d.N.89.c. & quoniam 3. (d) d.N.89.c.filiū.4.

XIII.

Secundus perficitur per rescriptum Principis, (a) alium vè, qui ab ipso Principe potestatem eam habet, ut sunt Comites Palatini. Quæ enim auctoritate Principis fiunt, ab ipso Principe facta videntur. (b) Et ita legitimatus tunc dénum ad patris admittitur successionem, quando non extant naturales & legitimi si.

Abet (c)

A 3

mul:

mul: his namq; extantibus nec patri, multò ergo minus aliis consanguineis patris succedit. (c)

(a) d.N.89. c. illud tamen 9. (b) l. quæcunq; i. §. qui mandatam l. et si prætor 3. ff. de offic. ejus cui mand. est jurid. (c) d.N.74. c. si igit. licentia 2. Auth. item sine C.de nat. lib. d.N.89. §, illud tamen. Vbald. in tract. success. ab intest. in 1. part. n. 80. cum seqq.

XIV.

Tertius tandem & ultimus legitimandi liberos naturales modus peragitur per subsequens matrimonium; (a) & hoc modo legitimatus solus si sit, solus ab intestato: cum aliis verò naturalibus & legitimis simul jam natis, nascituris vè æqualiter succedit. (b) Idque non solum in parentum, verum & aliorum agnitorum, cognatorumq; hereditate, ut & in feudis quoq;. (c)

(a) d.N.89. c. reliquis 8. vers. si quis igitur dotalia. (b) c. tanta extr. qui fil. legit. l. cum quis 10. C.d.nat. lib. d. §. 2. d.N.89. d. 1. vers. ... si quis. (c) Schneidyr. ad tit. de success. ab intest. num. 10. cum seqq.

XV.

Naturales tantùm in genere quidem dici quodammodo possunt, extra matrimonium natì quicunq;; propriètamen dicuntur procreati ex concubina, quàm scil. quis domi uxoris loco habuit, quia secundum naturam geniti sunt, nec jus civile eis aliquo modo adversatur (a) ad patris intestati bona non admittuntur, nisi liberis uxorevè justâ non extantibus, quo casu in sextantem cùm matre dividendum succedunt: (b) quod tamen ad nepotes extendi non debet: (c) A matris autem, & parentum maternorum hereditate, sive soli sint, sive cum legitimis liberis concurrant, arceri minimè debent. (d)

(a) t. ff. d. concubin. t. C. d. nat. lib. N.89. c. ult. (b) Auth. licet. C. d. nat. lib. N.18. c. 5. N.89. c. 12. (c) l. fin. vers. sed hoc, cum seq. C. d. nat. lib. d. N.89. c. 12. in fin. Forst. tract. a. hered. quæ ab intest. defer. lib. 6. c. 10. n. 5. (d) l. pen. C. ad SC. orfit. t. t. Inst. eod. l. 2. l. 8. ff. unde cognati.

XVI.

Cum neq; jure civili, neq; jure Canonico Concubinatus sit sublatus, (a) non immetit ambigitur, sit ne etiam in Rep. Christiana ferendus? N. (b) (a) Forst.

(a) Forst.de tr.lib.6.c. 4. & 5.t. ff. de concubin. (b) Argum.
Epist.ad Hebr.13.vers.4. Matth.5.v.31. & 19.vers.7. Marc.cap.10.vers. 4.
Luc.cap.16.vers.18.

406

XVII.

Nunc ad spurios procedendum. Duplex autem spuriorum est appellatio: generalis & specialis: indifferenter enim & generaliter spurijs appellantur, qui extra matrimonium & concubinatum procreantur, sive à complexu jure civili damnato, sive non damnato; ita quod incestuosi & adulterini filij quoq; spurijs appellantur: de quibus infr. th.25. & seqq. 3. Specialiter vero tribus iterū dicuntur modis.

XVIII.

I. Nati ex libera & servo: (a) & hi patrī non succedunt, cum servus bona propria non habeat, in quibus ei succederetur: (b)

(a) l.ex libera 6.cum ibi not. C. de suis & legit. (b) l. 13. ff. ex quibus caus. major. l.paterfam. 182. ff. de V. S. l. 4. C. commun. de succ. l. 28. ff. de vulg. & pupill. subst.

XIX.

II. Qui habent patrem certum, sed talem, quem secundum honestatem demonstrare non licet. (a)

(a) l.vulgo concepti 23. ff. de statu hom.

XX.

III. Magis propriè & in specie dicuntur nati extra matrimonium & concubinatum ex soluto & soluta, ex concubinatu tamen à jure civili non damnato, & cuius civile pœnam temporalem non imponit: ut sunt filij publicarum meretricum, qui vulgo quæsti appellantur, patremq; habent incertum: & ideo patri aliisque ascendentibus per lineam paternam non succedunt. (a)

(a) §. Novissimè 3. Inst. ad SC. Orfit. l. hac parte 2. l. si spurius & ff. unde cognati.

XXI.

Matri vero quæ semper est certa (a) aliisq; ascendentibus per lineam maternam, non aliter ac si ex legitimo matrimonio nati essent, succedunt. (b)

(a) l.

(a) l. quia semper s. ff. de ius voc. (b) d. §. Novissimè d. l. 2.
& l. Modestinus 8. ff. unde cogn. l. l. §. sed & vulgo ff. ad SC. Tertull.

XXII.

Si enim in testamento præteriti fuerint, vel sine causa exhereditati, competit eis quærela inofficiosi. (a)

(a) l. si suspecta 29. §. de inoff. ff. de inoffic. test.

XXIII.

Et ab intestato succedunt etiam cum aliis liberis legitimis,
seu ex legitimo matrimonio editis. (a)

(a) Secund. Angel. in d. §. Noviss. & §. vulgo 4. de success. cogn.
& d.l. hac parte 2.

XXIV.

Matritamen illustri eatenstantum, quatenus naturales &
legitimi simul non extant, succedunt : his siquidem extantibus
matris successione spurijs privantur. (a)

(a) l. si qua illustris s. C. ad SC. Orfie.

XXV.

Nati deniq; ex damnato coitu dicuntur, qui procreati sunt
ex complexu, cui lex civilis etiam pœnam temporalem impo-
nit. (a)

(a) Secund. Angel. d. §. Novissimè.

XXVI.

Hi autem specialiori nomine vocantur vel incestuosí, qui
sunt nati ex collateralibus & affinibus in gradu præsertim à jure
divino prohibito : (a) vel nefarij editi scil. ex ascendentibus &
descendentibus in infinitum. (b) vel adulterini, progeniti ex
adulterio.

(a) gloss. supr. rubr. C. d. incest. nupt. (b) d. gloss. in rubr. C.

XXVII.

Atq; hi omnēstā quam indigni à paternā & maternā sub-
stantiā repelluntur (a) & in successibiles sunt omnibus ascen-
dentibus & descendentiis per lineam masculinam & fœmini-
nam.

(a) c. si quid autem fin. N. 74. Auth. ex complexu C. d. incest.
nupt. d. N. 89. cap. 15.

XXVIII.

l. (c)

XXVIII.

Cumque nec filiorum appellatione fruantur: igitur de jure
civili etiam à parentibus non aluntur: (a) quainvis de æquita-
te Canonica alimenta ijs constitui possint: èa ratione, quod ali-
menta negare, sit necare. (b)

(a) d.c.fin.d.Auth.ex complexu. (b) l.necare 4.ff.de.libr.
agnosc.

407

HACTENVS DE LIBERIS A B E O,
de cuius Successione Quæritur
editis.

XXIX.

In locum genitorum suscepti liberi sunt Adoptivi, qui & le-
gitimi tantum dicuntur, eò quod secundum naturam non sunt fi-
lij (non nati quippe ex adoptante) sed tantum secundum legem,
seu ius civile, quod istum filiationis modum introduxit.

XXX.

Sunt autem hi rursus vel adoptivi in specie, vel arrogati, &
utrorumq; successio diversa.

XXXI.

Adoptivus enim, si quidem adoptatus sit ab extraneo, patri
adoptivo intestato mortuo ut suus heres. (a) etiam cum aliis li-
beris naturalibus & legitimis simul, sive ante, sive post adoptio-
nem natis, (b) exclusis ascendentibus ipsius adoptantis, (c) re-
servatâq; sui parentis naturalis hereditate. (d) æqualiter suc-
cedit. (e)

(a) §.intest.in fin. § sed ea omnia Inst.b.t.l.pen. §. sed ne articu-
lum C.d.adopt. (b) l.si te §.C.d.suus & legit. (c) l.2. §. liberis ff. ad
SC. Tertull. d. l.pen. (d) §. sed hodie 2.Inst. de adopt. (e) l.cum in
adoptivis 10.C.d.adopt.

XXXII.

Sed in adoptione ad mortem usque patris adoptantis non
permanens, verum emancipatus, ab intestato ei non succedit: (a)

B

nec

nec ullum etiam remedium, sive juris civilis sive prætorij ad consequenda patris testati bona adversus testamentum ejusdem, in quo non fuerit heres institutus, habet. (b)

(a) d.l.pen. §. sin autem C.de adopt. (b) d.l.pen. §. sed ne artic. d. §. sed ea omnia.

XXXIII.

Patri autem adoptivo solum, non vero agnatis aut cognatis ipsius, nec uxori ejus succedit. (a)

(a) d.l.pen. §. sed ne artic. vers. & ideo.

XXXIV.

In feudo etiam talis adoptatus patri adoptivo non succedit. (a) hoc namq; modò, solâ dispositione Vasalli feudum ad extraneum pervenire posset. (b)

(a) c. adoptivus, si de feud. def. content. In usibus Feud. libr. 2. (b) contrac. i. d. success. feud. & contra c. Imperialem de prohibit. feud. alien. per Frid.

XXXV.

Quod si vero adoptatus sit ab ascende, ut statim in potestatem transit adoptantis; ita etiam ei succedit sicut filius naturalis & legitimus simul. (a)

(a) §. sui autem. 2. §. sed ea omnia. 14. Inst. d. hered. quæ ab intest.

XXXVI.

Definit autem hic esse in potestate patris naturalis, neq; ei ab intestato succedit, neq; naturalis patre cum heredem instituere cogitur, quæq; acquirit, non naturali, sed adoptivo patri acquirit.

(a) Ex heredatus vero, vel præteritus in testamento patris adoptivi heres, rumpit testamentum; dummodo usq; ad mortem patris adoptantis in adoptione permanferit: alias secus. (b)

(a) d.l.pen. in med. vers. si vero paternaturalis C. d. adopt. (b) §. sed hodie Inst. d. adopt.

XXXVII.

Filio ejusmodi adoptivo post mortem patris naturalis à patre adoptante emancipato, & sic utriusque hereditate destituto, quodnam remedium concedendum sit, haud à proposito alienum videtur

videtur querere; Nos autem talem nepotem non ratione adoptio-
nis avo, sed mortuo patre vel matre, jure representationis illi e-
jusq; filiis succedere statumus. (a)

(a) N.118.c.1.

408.

XXXVIII.

Arrogatus porro & ex testamento & ab intestato patri arro-
gatori ut filius naturalis & legitimus succedit. (a)

(a) d.L.pen.C.de adopt.

XXXIX.

Arrogato impubere præterito intestamēto, vel sine justā causā
exheredato, omnia bona ad arrogatorem patrem deducta, unā
cum quarta bonorum patris arrogantis traduntur; condicōq; ex
l.Divi Pij ad istam quartam consequendam ei competit. (a)

(a) l.Papinianus 8.§ si quis impubes ff.d.inoff.test.

XL.

Emancipato cum causæ cognitione, tantum sua bona, non
vero quarta patris arrogantis, addicuntur: absq; causæ autem co-
gnitione, secus. (a)

(a) §.cum autem impubes z.d.adopt.

XLI.

Arrogatus deniq; in feudo patris arrogatoris (excepto ab avo
paterno arrogato, & cui alias feudi successio competeret) non suc-
cedit.

d.e. adoptivus, si defeud. def. contenti.

HVC VSQVE DE PRIMI GRADVS

Liberis.

XLII.

Ulterioris gradus liberi nepotes sunt, neptesvē, sicque de-
inceps.

XLIII.

Si soli sunt, ad avi hereditatem non in capita, sed stirpes ad-
mittuntur. (a).

B 2

(a) l.

(a) l. 2. l. 3. C. d. suis & legit. Inst. d. hered. que ab intest. def. §.
cum filius.

XLIV.

Concurrentes cum primi gradus liberis, itidem in stirpes,
jure repræsentationis succèdunt. (a)

(a) N. 118. c. I. Auth. in success. C. d. suis & legit.

XLV.

Et locum habet ius illud repræsentationis in linea descen-
denti in infinitum. (a)

(a) N. 118. c. I.

XLVI.

In linea vero collaterali locum habet tantum in eo, quod
fratrum liberi cum primis, vel matris fratre vel sorore superstite im-
stirpes succèdunt. (a)

(a) N. 118. cap. I.

ET HAEC DE PRIMO SVCCESIONIS
ab Intestato ordine descend. scilicet
dicta sufficient.

XLVII.

Deficientibus liberis in infinitum, secundo loco parentes
(turbato naturæ ordine; non enim sic parentibus liberorum, ut li-
beris parentum debetur hereditas, cum ratione pietatis & misera-
tionis ad liberorum bona vocentur.) (a) in infinitum quoque
(b) ad successionem defuncti ab intestato admittuntur.

(a) l. nam et siff. d. in off. test. l. scripto. §. ult. ff. unde lib. (b) c. si
igitur def. desc. 2. d. N. 118. l. quiq; 4. §. parentes ff. d. in ius voc.

XLVIII.

Et quia pater & filius sunt correlativa: Correlativorum au-
tem natura eadem: igitur tot species sunt parentum, quot libero-
rum: de quibus nunc in seqq;

XLIX.

Pater & mater si ambo supersunt & soli extant, pariter & æ-
qualiter

qualiter filio succedunt: (a) sublatâ differentiâ inter patrē & matrem veteri, ubi pater in successione filij præferebatur matri, tanquam agnatus cognato. (b)

(a) d.c.2.N.118.Auth.def.C.ad SC.Tertull.l.3. §. fin autem C. de bon.quæ lib. (b) §. præferuntur 3.Inst.ad SC. Tertull.l.2. §. obijcitur ff. ad SC.Tertull.l.2.C.cod.

409.

L.

Quando plures extant ascendentes in gradu dispares, tunc proximior in gradu, remoto rem excludit [a] Per patrem enim & matrem, avus paternus & maternus, tanquam personæ in gradu remotiori existentes, excluduntur.

[a] d. Auth. & d. N. 118.

L.I.

Et cum jus repræsentationis in ascendentibus locum non habeat [a] igitur matre mortuâ, pater excludit avum maternum, & vicissim. [b]

[a] d. Auth. ibi salva gradus. Angel. in §. præferuntur Instit. ad SC.Tertull. Graffus lib. sententiarum §. successio ab intestato c.22. [b] gl. d. Auth. def. sup. vers. gradus. d.c.2.sup. vers. proximi.

L.II.

Plures ascendentes in secundo vel tertio gradu disparsis numeri, defuncto tamen in pari gradu existentes, hereditatem illius non in capita, sed stirpes dividunt. [a] nullâ inter paterna & materna bona servatâ distinctione. [b]

[a] d.c.2.N.118.vers. si autem eundem [b] d. Auth. def. d. N. c.2.vers. si autem plurimi. Forst. d. tract. lib. 7. c. 4. conclus. G. Fachin. contr. 4.

L.III.

Quando defunctus reliquit ascendentes & collaterales simul, videlicet sorores & fratres utrinq; conjunctos, tunc hi defuncto cum ejus patre & matre in capita secundum numerum personarum, ut parentes & fratres ipsius defuncti viriles sive æquales habeant partes succedunt. [a]

[a] d. N. 118. cap. 2. d. Auth. C. ad SC. Tertull. Auth.item hered. Cod.de bon. quæ lib.

B 3

LIV.

LIV.

Fratrum utrinq; defuncto conjunctorum liberi cum ascen-
dentibus gradu proximis, & fratribus ipsius defuncti, ad successi-
onem ejusdem admittuntur in stirpes. [a]

[a] N. 127. c. 1. ut fratr. fil. succed. N. 118. c. 3. vers. si autem cum

LV.

Privilegium concessum filiis fratrum utrinque conjuncto-
rum, ut possint simul cum ascendentibus & fratribus defuncto ab
intestato succedere, ad nepotes vel pronepotes fratri utrinq; con-
juncti præmortui non extenditur, sed hujusmodi nepotes per pa-
rentes & fratres ipsius defuncti excluduntur, & solum fratrum fi-
liis: illud datum est, juxta regulam, quod ultra fratrum filios jus re-
præsentationis in collateralibus locum non habeat. [a]

[a] Auth. post fratres C. de legit. hered. Angel. §. preferuntur
Inst. ad SC. Tertull.

LVI.

Deficientibus parentibus primi gradus, frater utrinq; con-
junctus avum aviamq; non excludit. [a]

[a] d. N. 118. c. 2. vers. si vero.

LVII.

Ex uno tantum latere, veluti uno patre, sed diversis matri-
bus, qui consanguinei; vel contra ex eadem matre, sed diversis pa-
tribus nati, qui uterini appellantur, conjuncti eorumq; liberum
ascendentibus non succedunt. [a]

[a] d. N. 118. c. 2. d. N. 127. c. 1. Auth. Cessante C. d. legit. he-
red. Fachin. 6. contr. 8.

LVIII.

Mater transiens ad secundas nuptias ex primo matrimonio
unicum saltem habens filium, ei ab intestato in omnibus, tam à
patre, quam aliunde acquisitis plenò jure quoad usumfructum &
proprietatem, etiamsi vivente filio nupsit secundo marito, suc-
cedit. [a]

[a] l. fœmina 3. in fin. C. d. secund. nupt.

LIX.

Plures ex primo marito habens liberos, & transiens ante vel
post

post mortem unius ex filiis ad secundum matrimonium, tunc de jure novissimo ei pleno jure quoad omnia bona, quae ad filium pervenerunt aliunde, quasi ex substantia paternâ, succedit: in bonis vero paternis solum habet usumfructum, non proprietatem.

[a] Transitus enim ad secunda vota hodiè operatur privationem proprietatis illorum bonorum. [b] tantum, quæ à marito transiuntis pervenerunt ad filium, non autem aliorum bonorum ipsius filij mortui, licet ab avo, vel alio ascendentē ad filium mortuum pervenerint, & hoc non saltem in matre, verum & patre obtinet. [c] idq? propterea, quia per transitum ad secundas nuptias principaliter filij afficiuntur injuria, & anima ac memoria mariti, præmortui, non aliorum ascendentium dicitur contristari. [d]

[a] c.23. & c.46. §. si a. intestatus N.22. d. nupt. l. mater. C. ad SC.Tertull. [b] d. N.22. d. l. 3. §. illud. Auth. ex testam. C. d. secund. nupt. l. 5. C. ad SC.Tertull. N.2.c.3. [c] d. N.22. c. 23. vers. & hæc. communis Forst.lib.7.c.ii. [d] N.2.c.1.d. non dig. secund. nub. ux. c.20. §. soluto in pr. & c.40. vers. nos a. miram. d. N. d. nupt.

LX.

Et hoc juris est in parentibus naturalibus & legitimis simul.

LXI.

Decedenti filio naturali intestato, pater naturalis in duabus tantum unciis; mater in 10. (uxore tamen, vel naturalibus & legitimis simul liberis non relictis) succedit: Personæ enim excludentes filium à successione patris, ipsum quoque patrem exclidunt. [a]

[a] Auth. licet. in fin. Cod. d. nat. lib. l. nam et si par. 15. ff. de in offic. testament.

LXII.

Sola mater superstes, tali in omnibus succedit. [a]

[a] §. fin. Instit. ad SC.Tertull. l. hac parte 2. l. si spurius 4. ff. unde cognati.

LXIII.

Cum matre fratres ex eodem concubinatu nati, defuncto in 10. unciis succedunt, duabus interim patri naturali relicitis. [a]

[a] Salic. d. Auth. def. in fin. C. ad SC.Tertull.

LXIV.



LXIV.

Ut filij spurij vel vulgo quæsiti patri succedere non possunt, cum sit incertus; ita è contrario pater & alij ascendentis per lineam paternam à filiorum vulgo quæsitorum hereditate excluduntur. (a)

(a) d.l.si spurius 4. ff. unde cognati.

LXV.

Matrem semper certam existentem. (a) filio spurio indistinctè succedere, non aliter ac si ex legitimo matrimonio eum procreasset; textibus nititur inf. not. (b)

(a) l.quia semp. ff. d.injus voc. (b) d. §. fin. Inst. ad SC. Tert. d. §. vulgo quæsiti 4. Inst. d. success. cognat. d.l.si spurius.

LXVI.

Et in matre illustri hoc obtainere quoq; communis DD. in §. fin. Inst. ad SC. Tertull. est sententia. (a)

(a) Schneidvv. Comment. ad t. d. hered. qua ab intest. def. §. d. success. par. vulg. quæs. n. 48.

LXVII.

Nec illa per filios suos naturales & legitimos simul ab hereditate filij excluditur: cum quoad spuriros fratres tantum sint uterini & sic ex uno tantum latere conjuncti. (a)

(a) Angel. ad d. §. præferuntur Inst. ad SC. Tertull.

LXVIII.

Indistinctè natis ex damnato coitu parentum denegatur successio: E. & contra.

LXIX.

Pater adoptans extraneus filio mortuo adoptivo non succedit, sed pater naturalis & legitimus simul, utpote penes quem jus patriæ potestatis & sanguinis firmum permanet. (a)

(a) §. sed hodiè 2. Inst. d. adops.

LXX.

Avus paternus vel maternus, filij adoptivi (quia effectus patriæ posteritatis quodammodo tolluntur & in adoptantem transferuntur) idoneus efficitur heres.

VIXI

LXXI.

LXXI.

Arrogator arrogato sine liberis decedenti, inq; arrogatione
ad mortem usq; permanenti, succedit.

411.

LXXII.

Ut autem arrogator succedat, necessarium est, ut arrogatus
decedat pubes; secus si impubes: cum hoc modo alij cognati arro-
gatori præferantur. (a)

(a) §.cum autem impubes 3. Inst. de adopt.

LXXIII.

Fratres & sorores utrinq; conjuncti, cum patre arrogatore
hereditatem in capita dividunt. (a)

(a) d. Auth. def. ibi gl. & DD. in vers. mortuo.

DE SECUND O RDINE SVC
cess. satis.

LXXIV.

Reliquis est tertius Collateralium scil. ordo, quibus lex
duobus prioribus deficientibus hereditatem defert. (a)

(a) d. N. 118. c. 3. d. N. 127. c. 1. Auth. cessante C. d. legit. hered.

LXXV.

Fratres & sorores utrinq; conjuncti hac in successione pri-
mas tenent; exclusis omnibus aliis collateralibus, fratrum tantum
filiis exceptis: illorumque successio fit in capita (a) horum ve-
rò quando cum illis concurrunt, in stirpes: (b) solis autem ex-
tantibus in capita quoq;. (c)

(a) d. N. 118. c. 3. d. N. 127. c. 1. d. Auth. post fratres. C. d. legit. hered.

(b) d. d. N. N. (c) d. N. 118. c. 3. arg. l. 2. §. hæc hered. d. legit. hered. Reichs
Abschied zu Spchr. Anno 1529.

LXXVI.

Quoniam hac in successione fratrum & sororum par reperi-
tur conditio, & jus (a) Igitur inter illos etiam nulla tam pater-
norum, quam aliunde acquisitorum bonorum (allodialium scil.
non autem feudalium) habebitur ratio. (b)

C (a) d.

(a) d. Auth. cessante, Auth. itaq; C. commun d. success. l. d. emanci-
patis 13. in fin. C. d. legit. hered. (b) d. hoc autem d. his qui feud. dar. poss.
in usibus feud.

LXXVII.

Quamdiu fratrum utrinq; conjunctorum liberi supersunt,
tamdiu ex altero saltem latere defuncto conjuncti frates, nemque
patrius & avunculus excluduntur. (a)

(a) d. N. 118. c. 3. vers. unde consequens. d. Auth. cessante.

LXXVIII.

In bonis tamen feudalibus frater ex uno tantum latere pa-
terno scil. conjunctus defuncto succedit cum altero utrinq; con-
juncto, secus aliis in bonis: quia in feudalibus solum jus & vincu-
lum agnationis, non cognationis attenditur. (a)

(a) princ. de success. feud.

LXXIX.

Quod si neque fratres utrinque conjuncti, neque horum li-
beri superstites sunt, tum consanguinei & uterini, horumq; liberi
ante omnes reliquos cognatos, nullâ distinctione bonorum ser-
vata ad defuncti hereditatem admittuntur in stirpes. (a)

(a) d. N. 118. c. 3. vers. his enim non existentibus Auth. post fratres
§. d. legit. hered. N. 84. c. 1. §. vult autem d. consang. & uter. frat.

LXXX.

Frater ex uno latere ejusq; filij à successione defuncti exclu-
dunt illius patrum, similesq; personas, ut amitam, avunculum,
& materteram. (a)

(a) d. Auth. post fratres.

LXXXI.

Plurium fratrum vel sororum filij solidiversi numeri, quan-
do cum patruis succedunt, locum sui patris intrantes, tunc in stir-
pes; Patruis autem non extantibus, & sic proprio non repræsen-
tationis jure cum veniunt, in capita succedunt. (a)

(a) l. post consanguineos 2. §. hæc hereditas ff. d. legit. hered. l. 1. in
fin. ff. si pars hered. pet. l. lege 12. Tab. 14. vers. illo proculdubio. l. meminimus

15.

412

15. §. cum n. 3. vers illo etiam. C. d legit. her. d. N. 118. d. §. si igitur def. desc.
vers. hujusmodi. Reichs Abschied zu Speyr. Anno 1529.

LXXXIII.

Post fratres fratumque filios ad successionem reliqui collaterales quicunq; in gradu sunt proximiores remotioribus exclusis in capita, non stirpes vocantur in infinitum. (a)

(a) §. ceterū vers. etiam si longissimo gradu sint Instit. d. legit. agn. success. & §. ultim. ibi, etiam si longissimo gradu sint Instit. d. servili cogn. d. N. 118. cap. 3. vers. si vero omnes à latere cogn. & capit. 4. ibi omnes.

LXXXIII.

Nec duplex hīc vinculum conjunctionis, sed solum proximitas graduum, paritasque spectatur. (a)

(a) d. N. 118. c. 3. vers. hujusmodi.

LXXXIV.

Dicta de successione fratrum naturalium & legitimorum simul, in legitimatis per subsequens matrimonium eorumvē liberis obtinent: (a) cum sint verē legitimī (b) non autem legitimatis per rescriptū Principis, aut oblationē curiæ, cum hi patris oīum non aliis cognatis, neq; ascend. neq; descend. neq; collateralibus patris succedant. (c)

(a) N. 117. c. 2. ut liceat matri & aviæ (b) c. i. anta est vis. Extr. qui fil. sint legit. (c) N. 89. c. filium 4. Quibus modis nat. effic. sui.

LXXXV.

Fratres naturales tantūm & alij collaterales per lineam paternam sibi invicem ab intestato non succedunt, quia nulla inter eos agnatio, vel cognatio de jure intercedit. (a)

(a) §. vulgo quæfitos 4. Inst. d. success. cogn.

LXXXVI.

Neque naturalis legitimusq; simul, & solus naturalis, neq; soli naturales ex diversis matribus sibi invicem succedunt. (a)

(a) gl. in l. hac parte 2. ff. vnde cognati.

C 2 LXXXVII.

LXXXVII.

Fratres & collaterales naturales tantum conjuncti solum ex linea materna sive omnes sint naturales tantum extra matrimonium ex concubinâ suscepiti, sive mater eos ex diversis suscepit, sive unus sit naturalis tantum, alter vero per matrem ex legitimo matrimonio procreatus; itemq; sive naturales in specie, nati ex concubina, sive sint vulgo quæsiti, cū omnes ad successionē ratione cognationis vocentur: (a) igitur sibi invicem. (b) succedunt.

(a) d.l.2.l.4.ff. unde cogn.d.§.vulg.que fit.

LXXXVIII.

Incestuosorum, nefariorum & adulterinorum, inter se se nulla est successio. (a)

(a) Mynsing. 3. obs. 91.

LXXXIX.

Adoptati à non extraneo, sed aliquo ascende[n]te, in cuius potestatem transierunt, collateribus ex illo capite, quod naturali etiam conjunctione conjuncti sunt, succedunt. (a)

(a) l.pen. §. 1. vers. & ideo sancimus C.d. adopt.l. qui in adopt. ff. d. adopt. Forst. tr. d.lib. 8.c. 14.n. 5.

TANTVM ETIAM DE PRIORI DIVISIONE
nis Θ. sup. 3. propositæ membro; nunc
ad posterius.

XC.

Posteriori sth. 3. propositum membrum Extraneorum: quo-
rundam esse diximus.

XCI.

Referuntur autem eò Conjuges, Consortes, Fiscus.

XCII.

Ob indissolubile (a) inter conjuges divini & humani ju-
ris consortium (b) non existentibus descendantibus (legitimis
naturalibus scil. nam conjunx superstes alteri præmortuo succedit
in solidum, excluso defuncti bastardo (c) descendantibus & col-
latera-

lateralibus cognatis defuneti conjugis maritus, uxori v̄e succedit. (d)

(a) l.uu. ff. Vnde vir. & uxor. (b) l.i. ff. d. ritu nupt. (c) Testor. in tr. de success. ab intest. n. 95. (d) l.un. C. unde vir. & uxor.

XCIII.

Uxor inops, nec dotem, vel per exiguum habens, (quia pa-
rum & nihil comparantur) (a) una cum liberis, marito inter-
dum prædiviti, & amplam hereditatem relinquenti in quartam, si
3. sint liberi, in virilem portionem si plures, succedit, & contra ma-
ritus uxori. (b) idque propterea, ne conjunx superstes inops,
post mortem alterius conjugis cogatur in opprobrium defuncti
mendicare, quo vivente aliis non mendicarat: atq; illud in hono-
rem ac reverentiam matrimonii benè transacti (c) neve afflito
afflictio addatur. (d)

(a) l. quamvis ff. d. condit. & demonstr. gl. in l. ult. C. ad. l. Faviam
de plagiariis (b) Auth. præterea C. unde vir. & uxor. (c) argum. l.
unum ex familia 67. §. fin. ff. d. legat. 2. (d) l. divus. 14. ff. d. offic. præsid.
juncta gl. ibid.

XCIV.

Benè transacti matrimonij diximus propterea, quia, & justū
ac legitimū, (a) nec divortio aliquo (b) multo E. minus ho-
micio (c) solutum esse matrimonium debet.

(a) l.i. ff. unde vir. & uxor. l. qui contra 4. C. d. incest. nupt. (b)
d. l.i. ff. unde vir. & uxor. (c) l. si ab hostibus 10. si vir. ff. solut. ma-
trimon.

XCV.

Hinc quæstio: Utrum maritus uxorem in adulterio depre-
hensam interficiens, cum pœna homicidiij ordinaria non puniatur:
uxori nihilominus succedat? quod N.

XCVI.

Post conjuges Consortibus (a) & Collegiis legitimis in
casibus in jure expressis, & ll. inf. scriptis, non vero aliis successio
competit. (b)

(a) l.un. C. si lib. imp. fin. hered. deceff. lib. 10. (b) l. 2. ff. d. vet.

C 3 & mi-

& milit. success. l. 6. §. ejus qui ff. d. injust. rupt. irr. fact. test. l. 1. 2. 3. 4. &
fin. C. d. hered. decur.

XCVII.

Postremo tandem loco Fiscus, prædictis omnibus non extantibus, in subsidium quasi, ne quis sine herede sit, in bonis illis vacantibus, (a) exclusis affinibus (b) & nutritoribus (c) venit.

(a) l. 1. & l. 4. C. d. bon. vacan. lib. 30. (b) l. 7. C. commun. d. succ. (c) l. 10. C. d. t.

XCVIII.

In illorum hereditate qui læsa Majestatis (a) vel hærefoeos (b) sunt damnati, Fiscus liberis & aliis consanguineis præfertur.

(a) N. 134. c. ultim. in fin. l. quisquis 5. C. ad l. Iul. Majest. (b) l. 4. C. d. Hæret.

XCIX.

Extra læsa Majestatis aut hærefoeos crimen condemnatis descendentes in infinitum, & ascendentis, usq; ad tertium gradum, ulterioribus à fisco exclusis, succedunt. (a)

(a) d. N. 134. c. ult. t. t. C. d. bon. proscript. Auth. bon. damn. C. eod.

C.

Atque hæc pro ratione instituti mei, se successionis

ab intestato materiâ dicta sufficiant.

XCI.

Laws & gloria Deo vni & triuno
In infinitum.

XCI.

Post confidere Contraffidere (a) & Collidere (b) successio-

completa (c) (d) (e) (f) (g) (h) (i) (j) (k) (l) (m) (n) (o) (p) (q) (r) (s) (t) (u) (v) (w) (x) (y) (z)

AD PRAESTANTISSIMVM

Dn. M, Respondentem.

Volvere quid prodest sinuosa volumina Iuris?
 Ecquid nosse juvat Codicis omne Sophos?
 Et latuisse domi, nec apricas ire sub auræ?
 Muribus & muscis complacuisse suis?
Te PVLIANE, Themis præclaris laudibus ornat,
 Quod tibi non trepido publica pugna placet.
 Scilicet illa FORI prænuncia signa videntur;
 Cujus eris quondam patria in urbe decus.

F.

M. Johannes Paulius Crusius, Pr. Cl. Pr.
 & P. L.

II.

Fallor? an id circò Themis est Astræa vocata,
 Quod aequet astris illa cultorem suum?
 Nempe etiam est cœli sub fornice curia quadam,
 Et legibus certis rotantur sidera:
 Quod Reges homini sunt, id sunt sidera Mundo,
 Regumq; nutui applicant se subditi.

Jupiter

In piter influxu bonus est, saturnus iniquus,
Veterator ille & crabro cœli lumen.
Tricones quasi sistra crepant prope Iudicis aures,
Brutaliter dictant dicam reo:
En etiam in cœlo divortia Muta face sunt
Cœlinitelæ, & mutuas iras coquunt.
Iudicis Urna bonum servat, condemnat iniquum:
En & serenos astra ventilant dies:
Mox jacunt tristos presteras, atq[ue] tremendis
Immugit orbis subditus conflictibus.
Inde Magistratus nostra sunt astra Themistos,
Et eminentiora plebe cetera.
Tu quia ad Astra & puteal clarere laboras,
Et ære stipas pallidis cerebrum tuum:
Si sic (namq[ue] via est excelsa) scandere perges,
Adastra Curiæ Themis te subvehet.

Gratulabundus

M. Ioh. Conradus Dannhayver.

II

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-618837-p0030-3

DFG

Straßburg, Diss., 1613-II



1017



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-618837-p0032-4

DFG

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



IDICA,

ONE
ATO

VTILI ET

MAX.

g. viro,
DAVIDE
CTORE IN-
RATENSIMUM
lico: Præ-
do,

cæ disqui-

ilis.

GENTINA-

T.I.,

LEDERTZ.

A.

401.

42

1622, 6.

